



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

101 Idem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

dum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia similes personæ, aut per pauci reperiantur fructus illorum, in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior, ac pro loco, & tempore utilior sit, converti debent, prout Ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit, nihil aliter forte in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum quo casu, quod ordinatum fuerit, curare debet Episcopus, ut observetur, aut si id non possit, ipse, prout supra viriliter providere tenetur, Concil. Trident. ind. cap. 8, de refor. sess. 25. & clem. quia contingit, de relig. dom. qua in eod. cap. & in cap. 15, de reform. sess. 7, est innovata cum derogationibus in ea contentis. Administratores autem, seu gubernatores eorumdem hospitalium ad instar tutorum & curatorum juramentum præstare, ac de locorum ipsorum bonis inventarium conficere, & Ordinarij, seu alijs, quibus subsunt loca hujusmodi, vel depurandis ab eis annis singulis de administratione sua tenentur reddere rationem d. clem. quia contingit, §, ut autem, & ibi gloss. in ver. annis, Abb. Zachar, & Alexander in cons. 1. numero 4, lib. 7.

101 Si verò dicti gubernatores commiserint negligentiam, vel defectum, locorum Ordinarij, etiam si hospitalia prædicta exemptionis privilegio munita consistant, per seipos, vel alios, præmissa adimpleri fovere tenentur, & gubernatores, seu rectores eisdem non exemptos propria, exemptos verò, & alios privilegiatos Apostolica auctoritate compellere debent. Contradictores cujuscunque

status, aut conditionis existant, ac præbentes eisdem circa præmissa consilium, auxilium, vel favorem per censuram ecclesiasticam, & alia juris remedia compescenda, ut in eadem clem. §, nos incuriam.

102 Hacque ratione, & auctoritate gubernatores, administratores, rectores, seu magistros hospitalium, & confraternitatum, sacrorum canonum, & sacrorum conc. Trident. decretorum contemptores, & transgressores, Episcopus, uti eorumdem executor, excommunicare potest clem. 1, de atat. & qualit. & Pius IV. in litteris confirmationis concilij incipientibus Benedictus Deus, § mandamus autem, de quibus in fine conc. & in Bull. Rom. cap. 96, & ad id Episcopi tenentur, cum illis mandetur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis, de quibus in eod. §, mandamus, quod contradictores per sententias censuras, & pœnas ecclesiasticas compellant.

103 Archiconfraternitates verò, & congregationes aggregantes, aggregandi, & communicandi formam novissimè approbatam diligenter observare debent, juxta quam privilegia, & indulgentias, aliasque gratias sibi ipsis nominatim, & expressè, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra concessas, ipsis confraternitatibus, & congregationibus erigendis, institutis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possunt, ut in §, in super volumus, & §, si non servata forma data à dicta constitutione, corrui adus, & non valet aggregatio, cap. cum dilecta, & ibi Felin. num. 6. circ. med. ver. gesta contra formam, de rescript. cap.